

est absque me Iesus. Fateri ergo debemus, neminem unquam nomen Iesu habuisse, quod formale significationis eius, ut ita loquar, quamvis illud quoad materialem vocis haberit. Quamvis hoc ultimum etiam negent auctores superiores, aientes non idem esse nomen, quippe diversis characteribus nomen Domini nostri Iesu scribitur, ut iam supra adnotavimus.

HOMILIA V.

Referantur, et explicentur nonnulla, quibus sacrum nomen Iesu prae ceteris ostenditur excellere, et quanta illud sit reverentia colendum, iterum edocetur.

Quatuor praeclarissima signa partim in sacris litteris, partim in sanctae matris Ecclesiae traditionibus invenio, quibus divina maiestas non absque singulari suae providentiae mysterio hominibus voluit innuere praestantiam sanctissimi nominis Iesu, et cultum, atque adorationem ei ab omnibus exhibendam. Quae ut debito ordine recensere, primum mihi venit explicandum, quando magnus ille Patriarcha Iacob, ut Apostoli Pauli (ad Hebr. c. 11) verbis utar: *Moriens singulos filios Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae eius. Sanctus Ephrem (in comment. lvi. loc.) ait, virgam illam, sex sceptrum, quod Ioseph tunc regis Aegypti prorex manu gerebat, crucis fuisse figuram, et fastigium significasse tabellam, in qua fuit sanctum nomen Iesu exaratum, hincque Iacob moriens cum fide futuri Redemptoris, irruit osculaturus, et veneraturus sanctum nomen illius, cuius aspectu frui non poterat, ut sicut apud nos solent boni christiani, nomen Iesu corde colens, et ore pronuntiatus de vita discederet. Huic favent expositioni verba, quae (cap. 47) leguntur: *Adoravit Iacob Dominum, quae non possunt de Ioseph intelligi: non enim sacra Scriptura vocasset Dominum eum, qui Iacob erat filius, et quae multo minus hanc etiam ob causam a patre filius erat adorandus. Rationem ergo nunc ineamus: nam si huius nominis umbræ, ac figuræ tantam reverentiam sanctus ille patriarcha deferret, indicium est manifestum, praesensse Dei lumine praevalente, quanto in honore sanctum Iesu nomen ab omnibus foret habendum propter singularitatem eius excellentiam, et dignitatem.**

Secundum signum in Christo ipso cernimus, quando Pilatus eum morie crucis damnavit: nam tunc, etsi praeter eorum intentionem, tam ab ipsis perfidis Hebraeis, quam a Graecis, et Latinis nomen eius fuit concelebratum, dum hebraice, graece, et latine illa insignis facta fuit inscriptio, et Christi capiti imposita: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quia in re mihi videtur, sicut olim ineffabile nomen *Iehovah*, sublimi in loco, super caput scilicet summi sacerdotis locabatur, sic voluisse Deum nomen quoque Iesu super caput aeterni sacerdotis Chri-

sti, dum in cruce erat, affigi, quod inde, ipsi etiam eius hostibus reclamantibus, tolli, aut deleri non permisit, respondente illis Pilato, *quod scripsi scripsi.* Completa tunc ipsa inviolata fuerunt verba Davidis in titulo (Psal. 57): *Ne corrumpas, aut ne disperdas tituli inscriptionem, id est, ne deleas titulum crucis: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quod anlem hoc sanctissimum nomen ampliori cumulat honore, est, quod Deus summe munificens, liberalis, et profusus in laboribus, et officiis quibusque suorum amicorum compensandis, adeo ut pro aquae frigidae potu vitam pollicetur aeternam, sicut scribit b. Matthaenus, volens Christi laboribus, et obedientiae usque ad mortem crucis debita praemia largiri, nomen ei imponit Iesu, ab omnibus adorandum, ut docuit Paulus (ad Phil. 2): *Propter quod donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.* Nulla corte maior dici potest hyperbole, per quam huius nominis excellentia magis pateat, quam si dicamus, nomen Iesu Deo esse visum dignum, quo Filius eius nominaretur, et pro omnibus laboribus, quos in cruce sustinere debebat, tamquam gloriosus triumphator honoraretur. Verumtamen si rem attentius meditamur, aliud etiam non contemendum excellentiae sanctissimi nominis argumentum licebit adiungere. Voluit Christus Dominus illud venerando suo capiti apponi, tum ut eo tamquam pretiosissimo diademate coronaretur, tum ut tanti nomen Iesu facere videretur, ut illud tamquam regiam patris diploma humani generis Salvatorum crucifixum lessificans, quasi religiose ipse descensans, super caput poneret, et mandato quod per ipsum dederat, promptissima voluntate obtemperaret, cuius obsequentis voluntatis, in Ioannes, tamquam unus eorum, qui mihi a secretis sunt, fidem ut factus pelo. Fecit sane discretis verbis dicens, super caput Iesu e cruce pendens positum fuisse titulum: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quae haec dicitur, brevi haec ratiocinatione concludam. Magnum olim fuit odium, quo mortales nomen Iesu insectabantur, ut David in persona Christi praedixit (Psal. 118): *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen eius?* Hieremias quoque nomine Hebraeorum inquit (c. 11): *Eradamus eum de terra vicentium, et nomen eius non memoretur amplius.* Non tamen Deus vota illorum impleri permisit, immo nomen Filii sui ad omnem propagavit aeternitatem, et ab universis creaturis in summo haberi cultu honoris, et maiestatis efficit. Quod ut faceret, et trophaeum crucis erexit, ubi maneret inscriptum, nulla unquam oblivione delendum: ac sicut quae sunt sublimi loco posita, ab omnibus cernuntur, sic nomen Iesu non in porphyreticis columnis, obeliscis Aegyptiorum, aeneis statuis, vel altis pyramidibus; sed in culmine, ac throno crucis locavit. Cui ut mundus universus genua flecteret, voluit ante omnes capiti suo, illud honorans, superimponere, ut exemplo suo ad praestandam ei reverentiam omnes excitarentur, cui Redemptor mundi tantum honoris deferret.

Tertium signum, quo huius nominis gloria singulari edito miraculo celebrata fuit, accipere possumus ab Apostoli Pauli morte, cuius caput, ut referunt historici, cum fuit cervicis resecissum, clamitabat, et repelebat nomen sanctum Iesu, ita ut qui animam a corpore, et caput a cervice separaverat gladius, tam dulcem compellationem ab ore Pauli amovere non potuerit. Quemadmodum enim vas, quod unguento fuit odorifero imbutum, quamvis in parva fragmenta comminatur, semper odorem conservat, iuxta illud Horatianum:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu;

ita Paulus vas electionis, ut de illo dixerat Christus (Act. 9): *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel: vas, inquam, rota tertii coeli elaboratum, vas quidem terrene, et fragile; coelum tamen in fornace tribulationum, quas pro Iesu nomine patienter fortiterque toleravit (ibid.): Ego ostendam illi quanta oportet eum pro nomine meo pati: tantam, inquam, Paulus recepit fortitudinem, et constantiam, ut quamvis tyranni in ipsum desaeientes huc caput, et illic proicerent corpus, nunquam nomen Iesu, pro quo moriebatur, dimiserit, immo tamquam vas, quod suavissimum toties continuerat liquorem, nam et solum in suis Epistolae nomen Iesu sexcentis, et amplius nominat, quamvis ita percussum, et distractum, bonum eius odorem retinens suavitate exhalabat. Nec minus mirabile prodigium fuit, per saliente Pauli capite postquam fuerat abscissum, tres in eodem loco fontes aquarum erupisse, impleto non solum in spiritu, sed re ipsa, quod Isaias dixerat (c. 12): *Haurietis aquas de fontibus Iesu: quod nostra vulgata vertit: Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* Non enim solum Christi persona, sed nominis ipsius invocatio, et prolatio tantae virtutis est, ut Moysis virga in operatione miraculorum eo sit infirmior, et impotentior: illa enim fontem unum, nomen autem Iesu a Paulo repetitum tres fecit scaturire.*

Quartum, et ultimum signum, quo nominis huius excellentia singulari successu sese prodidit, fuit, quando inelytus, et validissimus martyr Ignatius, qui bestiarum morsibus obiectus a famelicis disceptus facile quidem fuit, cor tamen illius mansit intactum, leonibus invadere, aut illud tangere non audentibus, quoniam forti armatura salutis, et pretioso illo nominis Iesu diademate praemunitum, et fulgidum aureisque characteribus insculptum habebat, ut postea compertum fuit. Haec quemadmodum licores in regia curia capere, et in vincula ducere illum non audent, qui ad alicuius magnatus, Apostolici Nuntii, vel regis, principumve legali domum, vel ad ecclesiam confugit, sic leones illi, quasi rationis participes, nomini Iesu reverentiam exhibentes, non ausi sunt martyris cor offendere, tam sacro auro munitum, suo docentes exemplo non solum hominibus, sed ipsis quoque iudicii expertibus animantibus sanctissimum Iesu

nomen esse debere venerabile, et omni cultu suscipiendum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Quae sit utilitas, suavitas, et maiestas nominis Iesu, et quanta ei reverentia debeat exhiberi.

Rex et propheta David, quam fructuosum, dulce, magnum, et verendum esset Iesu nomen, contemplantur, breviter id significavit dicens: *Sanctum, et terribile nomen eius.* Sanctum vocat propter virtutem, quam habet ad sanctificandas hominum mentes, unde inoleseit prima huius nominis dignitas, nempe utilitas, quoniam iam ab eunctis animarum nostrarum morbis medicina, et salus provenit. Hanc utilitatem sacri Doctores multis laudibus efferunt: unde Augustinus (de Civit. Dei lib. 7. c. 28) explicans verba Davidis (Psal. 67): *Deus salvos facienti, et Domini, Domini exitus mortis, inquit: Deus salvos facienti, Dominus est Iesus: ipse enim salvum fecit populum suum a peccatis eorum: in quorum promissione quondam sanguis eius fusus est, non utique oportuit alios exitus habere quam mortis. Et ideo cum dictum esset Deus noster, Deus salvos facienti, continuo subiungit, et Domini, Domini exitus mortis, ut ostenderet moriendo salvos esse facturum.* Possimus etiam interpretari verba Davidis, *Domini, Domini exitus mortis, de iustificatione hominis: nam sicut iustificatio est quidam motus supernaturalis, et divinus, quo peccator a morte transferretur ad vitam, Translati sumus de morte ad vitam, alque ita homo exemptus, ac liberatus de potestate peccati traducitur ad gratiam Christi, qui est causa efficiens, et meritoria introitus ad vitam, quae datur per eandem gratiam, sic etiam eadem iustificatio causa est exitus a morte per peccatum illata. Consideratione etiam dignum, nunquam a Gentium sapientibus, nec a Poetis, etsi varia Diis eorum nomina dederint, hunc belli, illum maris, alium eloquentiae Deum vocantes, nunquam aliquem Deorum appellatum Deum salvos facienti, quoniam tam honorificam appellationem divina maiestas soli Filio suo ab aeterno decreverat. Cognovit hoc magnus Patriarcha Iacob, qui mortis proximus, ut in Genesi scribitur, ultimum quo emisit suspirium, et ultima iam morientis verba cum nomine Iesu sociavit: nam ubi latinus interpret inquit: *Salvatorem tuum expectabo Domine, alii cum Procopio (sup. c. 49. Gen.) transferunt: Iesum tuum expectabo Domine: quae verba chaldaice Paraphrasae singulari expositione ita declarat: *Salvatore tuum expectabo, dixit Iacob, non expro salutare Gedson, quae est salus temporalis, nec salutare Sampson, quae est salus transitoria, sed expro redemptorem Christum filii David, cuius redemptionem desiderat anima mea.* Nunquam visus inter homi-**

per *lumen eius*, optime intelliguntur de principatu Christi, quem per crucem humeris impositum fuit adeptus, ut s. Augustinus interpretatur. Quod autem veritatem Ambrosius, *Cuius principium super lumen eius*, indicat Christum a principio vitae suae, et ut dici solet a teneris iuguliculis crucem sustinuisse; nam et octavo die, postquam natus fuerat, sanguinem coepit fundere circumcisus. Unde licet vere dixerit Ecclesiasticus (c. 3): *Tempus nascendi, et tempus moriendi*; in hoc tamen infanto vitæ, et mors simul natae sunt, et tamquam gemellæ sorores suo partu editæ, quasi iunctis dextris, et inuito amicitiae fœdere conformes prodierunt: quippe vix natus fuerat, cum paff coepit labores usque ad sanguinis effusionem. Ac propterea ipsi, cui terribile David, fuisse ait, nomen Iesu stetit magno pœdio proluxæ, et continuatæ mortis, quæ a pœsopio incipiens in cruce fuit terminata. Appellat secundo terribile propter tormenta, quæ tot, et tam illustres martyres pro hoc sacratissimo nomine pertrulerunt, quibus certe fuit nomen hoc terribile: siquidem illorum quilibet dicere poterat, quod olim Paulus Apostolus (Act. 21): *Non solum alligari, sed et morti paratus sum propter nomen Domini Iesu*, sicut vere mortem subierunt pro huius nominis confessione, omniaque tormenta, et propriam vitam neglexerunt, ut pro gloria eius viriliter decerent.

Tertio dicitur terribile, quoniam manu potentia cetera nomina Deorum, quos adorabat caeca gentilitas, delivit, et obscuravit, sicut praedixerat Oseas (c. 2): *Auferam nomina Baalim de ore eius, et non recordabitur ultra nomina eorum*; quasi dicat, non iam nominabitur Iupiter, Bacchus, Mars, Apollo, Mercurius, vel Saturnus, sed quemadmodum solaribus radiis occulentibus nubes diffugiant, et omnis caligo pellitur, sic affulgente sacratissimi nominis Iesu splendore, et radiis coruscantibus omnis idololorum gloria obscurata fuit, et ab iis ipsis, qui falsa nomina tantopere colebant, non solum neglecta, et oblivioni tradita, sed aequata solo, et conculcata fuerunt, sicut prius Isaias significaverat (c. 7): *In illa die proiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri, quæ fecerat, ut adoraret talpas, et vesperationes*. Ubi animadversione dignissimum in rem nostram, non absque mysterio Prophetam polius talpæ, et vesperationem, quam aliorum animantium, quæ a Gentibus colebantur, fecisse mentionem, quoniam talpa animal est caecum, vesperatio debili adeo visus est, ut noctu semper volitet, et oriente sole dispareat: nam iustitiae Sole Christo in terris oriente, et sanctissimi sui nominis irradiante fulgore, protinus tamen vesperationes omnes dii, et eorum nomina lateverunt, et veterem splendorem, et famam indebite usurpalam amiserunt.

Quarto vocat David nomen Iesu terribile propter metum, et terrorem, quem sola eius auditio inferet daemonibus, ut contigit in pœlio sancti Michaelis, et Luciferi, ubi existente ancipiti utrinque victoria, sicut Hispani solent pœlium inuentus Apostolum inclamare Iacobum, sancti Michael archangelus, et universæ illius cohortes nomen sanctum Iesu pro-

ferentes in malos angelos irruerunt, quo potenti clamore adversa factio subacta, et devicta fuit, ut innuit Ioannes in Apocalypsi his verbis: *Ipsi autem ceciderunt propter verbum testimonii sui*; nullo igitur melius, et verius dici hic poterit de tam potenti nomine, quod olim de Hectoreo dixit Ovidius:

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

Quotiescumque namque sacrum Iesu nomen ad aures deferitur eorum, qui vel maxime ad adversantur, tremor artus, et vultum pallor occupat, quod non aliunde est, quam ab eius efficacissima virtute, ut Christi significaverit discipuli, dicentes (Math. 7): *In nomine tuo demonia eiecimus*, quod etiam praemouerat David dicens (Ps. 43): *In nomine tuo spernemus insurgentes in nos*. Cuius rei si causas investigare velimus, prima occurrit, quod sanctum Iesu nomen eandem habet, quam ipsemet Deus, fortitudinem, et omnipotentiam, sibi iure haereditario associatam, ut propheta David verbis licet aliquantulum obscuris significavit, quoniam ubi nostra vulgata legit, *Ante solem permanet nomen eius*, alii legunt: *Ante solem firmabitur nomen eius*, id est Filius erit similis Patri, quoniam sicut effectus assimilatur causae, ita nomen Iesu a similitudine operum, quæ ipsemet Iesus Christus fecit, non discedet, sed illum operibus suis imitans memoriam retinebit, et conservabit. Hinc ergo esse, quod licet nemo unquam, quamvis fortis, et intrepidus fuerit, tamen perpetuo robore valuit, sed ipso moriente pariter, et fortitudo eius, et potentia desit, nulla in eius nomine antiqui roboris maneat virtute, sicut Hectori, Achilli, et aliis accidisse legitur, quibus de vita migrantibus, illorum quoque fortitudo extincta fuit, non enim ipsis absentibus ad praesentiam, vel prolationem nominis eorum aliquid praclarum facinus editum unquam fuit. Sed Iesu nomen haereditarium, et moraliter iosiam sibi, eandem quam Christus habet virtutem et efficaciam, et sui genitoris opera lamquam bonus, et legitime natus filius imitatur. Bene igitur David: *Ante solem firmabitur nomen eius*. Secunda ratio est, quam noster Bernardinus (to. 4. ser. 48) affert inquit: *Nomen Iesu singulum est representans omnia, quæ Deus unquam fecit propter salutem humanae naturæ, eamque ob causam, sicut diabolus valde timet Christum, pariter etiam ad nomen illius exhorrescit, et illo auditio fugit, quoniam imago est illum exprimens, et lingua divina eius opera pronulgans, praesertimque victoriam, quam in cruce moriens adeptus est, unde maxima in Christum gloria, et honor infinitus redundavit. Unde arbitror praeter alias causas, hac una Christum mortuum voluisse in cruce, de qua pendeat, sanctissimum hoc nomen locari, quemadmodum artifices, quando insigne aliquod et egregium opus faciunt, nomen sum illic insculpunt, qualis est illa inscriptio: *Apules me fecit*, ut tam praeciari operis, quod omnino est gloriosissimum, et cui omnia, quæ facta sunt, vel in posterum fient, propter summam illius excellentiam omnino cedunt, auc-*

tor notaretur, et super thronum crucis quasi describeretur: *Iesus me fecit*. Nisi forte dicere velimus, quæ non minus pia meditatio est, vulgoque id passim fieri cernimus, ut quemadmodum opificum tabernæ, et officinae inscriptione notantur earum mercium, vel rerum, quæ illic venduntur; ita Christum super crucis officinam voluisse ponere titulum, et nomen Iesu, quod significat salutem, ut indicaret illic vendi animabus nostris salutem. *Emite absque argento, et auro*: illic veniam dari peccatorum, illic laborem, et afflictionem danti victoriam, illic adesse denique quidquid mens nostra potest desiderare pro utilitate sua, et obsequio Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Quanta sit nominis Iesu celsitudo, et quæ illi veneratio debeat, latius ostenditur multiplici eruditione, tam a sacra Scriptura, quam a sanctis Patribus accepta, unde multa, et magna, quæ in eo latent mysteria, reserantur.

Quamquam verissimum sit, tantam Dei esse praestantiam, tamque immensam eius perfectionem, ut nullo nomine integre, atque perfecte valeat explicari, ut tradit Gregorius Nazianzenus (orat. 36) dicens: *Deus nullo nomine exprimi potest, quoniam quemadmodum nemo est, qui aërem totum unquam hauerit, ita Dei naturam nec mens, nec vox ulla complexa est*: et noster etiam insignis Ecclesiae Doctor Bonaventura (lib. 1. dict. 22) inquit: *Sicut Deus soli sibi est intelligibilis, ita soli sibi est effabilis, et nominabilis, non alio nomine, nec alio verbo, quam ipse sit, et sicut nobis est incomprehensibilis, ita et inominabilis*. Quam sententiam uterque a sancto Dionysio (libro de div. nomin. c. 1) didicit, sic ea de re loquente: *Nec sensus Dei est, nec phantasia, nec nomen, nec scientia*. Et tandem Gregorius Nyssenensis (super Cantica) explicans Sponsae verba: *Vocavi eum, et non respondit mihi*, eandem ob causam ita scripsit: *Quomodo qui est supra omne nomen, offerri potest per vocationem nominis? proliis subiungit: Vocavi quidem quantum potui, excogitando voces, quibus ineffabilis ille monstraretur; et ille maior erat, quam qui per has significationes indicari possit. Nihilominus tamen idem s. Dionysius de nomine Dei ita censet: Inominabilis est Deus, sed multa habet nomina: quibus verbis innuit sapientissimus Dionysius, Deum non posse aliquo nomine appellari, quo tota eius perfectio adaequetur, posse tamen aliqua dari, quibus aliquid summae eius excellentiae monstretur. Inter quæ celebrata, et insignia fuerunt nomina Hebraeorum, quæ est *Heleim*, quod significat Iudices, ut Arias Montanus (in suo Ap.) notat, et *Cados*, id est sanctus, *Adonai*, Dominus meus, *Sadat*, sufficiens ad omnia, ut docet Epiphanius (haer.*

40), *Sabaot*, sanctus, et fortis, ut explicat sanctus Hieronymus in epistola ad Marcellinam, *Iah Deus*, quod nomine frequenter utimur, *Hallelutab*, id est, laudate Deum, et tandem nomen Tetragrammaton, *Iehovah*, quod iuxta Epiphaniam, et Abulensis sententiam significat summam essentiam, vel ut alii putant, idem est, quod nomen, et omnia. Hoc nomen *Iehovah* praecipuum erat inter Hebraeos. Unde s. Gregorio Nazianzeno, et d. Thome videtur Dei nomen magis proprium esse, *Qui est*. Quæ sententia fulcri potest, quod a Moysæ interrogatus Deus, quomodo vocaretur, vel quod esset ei nomen, respondit (Exod. 3): *Qui est, misit me*. Sicut ergo inter omnia divina nomina praesertim excedit *Iehovah*, sic omnium est excellentissimum eiusdem Dei carne induti nomen Iesu. Unde quoniam nomen *Iehovah*, idem est, quod Iesus, vel eius saltem figura, et typus, iuxta quorundam opinionem, placet in hac homilia maiestatem nominis *Iehovah* breviter aperire, ut inde, quantum sit huius nominis splendor, appareat Primum discutiamus literas ipsas, sive characteres, quibus exaratur, singuli namque plurimis sunt referri mysteriis. Titus Livius singulare refert Paradoxon Pythagoricum. Ait enim Pythagoram sensisse, quorum nomina consistant syllabis paribus, frequentius latere sinistro laborare solitos: quod licet ipse Livius somnium censeat esse Pythagoricum, addit tamen illa contingere ut plurimum: qua in re non minus, quam Pythagoram, reor fuisse deceptum: siquidem nulla est morborum cum nominibus hominum convenientia: atque ita error est manifestus, mysterium quaerere in nominibus, quæ a terra sunt, quod in his solum, quæ caelitus imponuntur, tantummodo solet reperiri: tunc enim cum Deus sit auctor illorum, singuli etiam apices non carent sacramento. Unde nomen, quod a Deo datur, semper est instar tituli, qui paucis verbis, quid res sit, ostendit. Examineus igitur singulos nominis *Iehovah* characteres. Nam primus, ait Hieronymus (in pro. Thren.), significat principium, in quo denotatur Pater, qui reliquarum personarum in divinis principium est: secundus significat esse, quod convenit Filio, per quem facta sunt omnia, et a quo, ut ait Ioannes, tam naturalia, quam supernaturalia suum esse receperunt: tertia littera significat coniunctionem, vel copulam, quæ optime representat personam Spiritus sancti, qui est nexu amborum. Sic etiam litteræ nominis Iesu innumerabilibus scænt mysteriis: nam prima littera, ut affirmat Epiphanius, est inter Graecos *Iota*, magna includens sacramenta, quæ declarans s. Clementis, inquit, primam litteram nominis Iesu significare decem, ob idque non carere mysterio, quod sancta mater Ecclesia preces suas, et orationes hoc sanctissimo nomine terminet, dicens: *Per Dominum nostrum Iesum Christum, etc.* id enim facit, ut ostendat, et protestetur, huius nominis merito, atque virtute, decem a Deo imposita praecepta fore per nos implenda, et quidquid in nomine eius a Patre petierimus, quod saluti animarum nostrarum expedit, obtinendam. Et s. Epiphanius praec-

dicto loco addit, mandatum Dei, quod agnum paschalem adduci decima die iubebat, figuram fuisse innocentissimi Agni Iesu, cuius prima littera, ut dixi, decem significat. Si ergo in ipso huius nominis principio, primaque littera tot ac tam magna sacri Doctores delegunt sacramenta, quid facerent, si quae in aliis litteris delitescent, perscrutarentur? Venerabilis Beda aliud notatu dignissimum in litteris, quibus inter Hebraeos, quam Graecos alphabeti litteras pro numeris usurpari, nec esse aliam apud eos numerandi rationem. Unde Iohannes in Apocalypsi dixit fore, ut Antichristi nomen litteris componeretur, quibus numerus sexcentorum sexaginta sex conficeretur, iuxta quam Graecorum numerandi rationem litterae nominis Iesu numerum faciunt octingentesimum octingentesimum octavum, ut Sixtus Senensis (in sua *Bibl.*) commemorat ex Sibylla Cumana, eiusdem versus ibi describens. Hoc igitur mysterium, ut dicere coepi, Beda nolavit, his verbis: *Sacrosancti nominis Iesu non tantum etymologia, sed ipsae quoque litterae comprehendunt, numerus perpetuae salutis mysterium redolent.* Mysterium autem hoc dies octavus est, qui gloriae, et requietis est symbolum, ut Hieronymus, et Augustinus notaverunt: quibus adde possimus, numerum octavum signum esse salutis, et libertatis, iuxta id quod conligit in arca Noe, ubi teste Scriptura (1. *Petr.* 5): *Oeto animae salvae factae sunt, sicut Apostolorum princeps Petrus in sua Canonica memoravit.* Est tandem numerus octavus aeternitatis symbolum, ut docent Augustinus (super *Psal.* 6. 12), et Gregorius Nazianzenus (orat. 43), vel ut notat Hieronymus (sup. *Ezech.*), figura est novi Testamenti, sicut veteris typus fuit numerus septenarius, quoniam inter Hebraeos dies septimus erat festus, inter Christianos autem octavus. Ut ergo Deus significaret omnia haec mysteria, videlicet Christum esse nostrae salutis auctorem, Dominum aeternitatis, Testamenti novi principium, gloriae datorem, voluit nomen Iesu habere triplicatum numerum octavum, qui omnium harum rerum symbolum est. Idemque Beda loco iam citato inquit, numerum ex triplici octavo numero conflatum, qui conficit, ut superius dixi, octingentesimum octingentesimum octavum, significare triplicem resurrectionem, quam Christus operatur: nam ille causa est resurrectionis qua anima resurgit ad gratiam, et resurrectionis corporis ad vitam corporalem, ac tandem resurrectionis Christi ad immortalam, iuxta illud, quod de se ipso loquens, per Iohannem dixit (Ioann. 5): *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Tertullianus illa verba discutens: *Ego sum alpha, et omega,* postquam dixerat Graecos inter omnes mortales sapientiae laude gloriosatos, unde de illis Paulus Apostolus (1. *Cor.* 2): *Iudaici signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt:* subdit alphabetum Graecorum divinum esse in triplicem numerum octavum, multiplicando ab unitatibus ad decedem, et subinde ad centum; sunt enim in alphabeto mo-

nades octo, decades octo, et hecatontade octo, ita ut sicut iam dixi, numerus ex his fiat octingentesimus octingentesimus octavus, quem numerum continet nomen Iesu, ad significandum, ut ait Tertullianus, *Iesum esse, qui omnia sevit, immo et ipsammet sapientiam, qua cum, si conferatur Graecorum eruditio, et Aethiopicorum doctrina, vel doctissimorum metaphysica scientia, ludus, et delirium censebuntur:* et sicut nomen *Iehovah*, ut multi autumant Doctores, idem est, quod generans, quae actio est ita excellens, ut nulla etiam ex his, quae a Deo fiunt ad intra, ut loquuntur, queat esse perfectior, vel excellentior, nihil enim potest cogitari maius, seu perfectius, quam a Patre generari Filium: ita quoque sanctissimum Iesu nomen, significans Salvatorem, innuit nobis Christum, quasi in spiritu generantem, quidem non aliter nos facit salvos, quam per Spiritum gignens, et nos filios Dei constituens, secundum Iacobi verba (c. 1): *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis: et alibi (Ioann. 1): Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nomen *Iehovah*, tam fuit Hebraeis venerabile, ut non solum super nomina duodecim tribuum aeternae laminae incisum, et super caput sacerdotis illud posuerunt, sed quemadmodum Romani teste Plutarcho (in suis *Emblemat.*) nomen Dei sui tutelaris, et quidam quoque gentes nomen primi Dei eorum, proferre non audebant, ut alii referunt auctores, ita et Hebraei sanctum nomen *Iehovah* pronunciare non tentabant, excepto sacerdote, nec tamen omni tempore, sed in templo, et quando sacerdotibus amictus erat ornamentis, ut Burgensis (in 3. *Exod.*) attestat. Si vero sacerdos non bene, vel cum debita reverentia illud proferbat, mala inde angustabantur. Constat etiam ex eorumdem auctorum testimoniis, Hebraeos, dum sacra Biblia publice legebant, nomen *Iehovah*, si occurreret inter legendum, minime proferre, sed pro illo legere solitos *Adonai*. Quibus addit Gregorius Nazianzenus (orat. 36), cautum fuisse apud Hebraeos, ne quid exararetur litteris, et pumelis, seu vocalibus, quibus nomen *Iehovah*, describeretur. Quas ob causas nomen dicebatur admirabile, et ineffabile, tametsi noster Galatinus (lib. de arc. sac. Script.) affirmet dictum ineffabile, propter altissimum Trinitatis mysterium, ut iam exposuimus. Sed non minus, quam *Iehovah*, nomen Iesu cunctis gentibus, et nationibus verendum habetur, nec solum in principio libri vitae positum fuit (Ps. 39): *In capite libri scriptum est de me,* sed tamquam regium diadema super caput summi sacerdotis Christi, quando aeterno Patri in crucis ara sacrificium sui corporis offerretur: unde tantam accepit dignitatem, et excellentiam, ut superet venerationem, quae Dei nomini deferri consuevit. Nemo enim est iam despectus pietatis, qui, quantumvis solet irare per Deum, iuret per Iesum, quod apertum est indicium, quam insula sit hominum animis huius sanctissimi nominis veneratio. Quotidie in choris ecclesiarum, tam cathedralium, quam conventualium nomen Dei nominari videmus, nec tamen aliqua est fit peculiaris reverentia: cum autem nomen Iesu auditur, confestim ab om-

ibus capita inclinantur, et externis signis ostenditur, quanto sit tam sanctum humanae salutis nomen cultu, et quanta omnium adoratione suscipiendum. Hinc dixit Abulensis (sup. *Exod.*), Ecclesiam magis nomen Iesu, quam Dei venerationi, affertque nonnullas rationes, quarum prima est humilitas Christi, quam Pater aeternus tam glorioso nomine voluit extollere, ut Paulus dixerit (ad Phil. 2): *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* Secunda ratio est, quoniam de solo Iesu nomine dictum est, per ipsum fieri nos salvos debere (Act. 4): *Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri.* Tertia est, quoniam nobis repraesentat nostrae redemptionis beneficium, quod omnium est maximum: unde sancti Pontifices gravissimis, et valde piis verbis Catholicos omnes admonuerunt, ut huic nomini, quamquam possent, semper deferrent ex animo reverentiam, et (in lib. *Decret. tit. de immun. Eccles. cap. Decet*) legitur in cuius venerationem Papa Clemens VII. diem festum instituit, quo nominis Iesu celebraretur solemnitatis, illamque agentibus, et aduentibus variis, et uberrimas indulgentias donavit. Seraphicus nostrae religionis institutor Pater sanctus Franciscus, sanctifatis portentum, tam erat huic nomini addictus, et devotus, ut infer alia, quae suis Religiosis, et in spiritu filius moriens testamento mandat, fuerit nomen Dei sanctae, et pia veneratio: *Sanctissima, inquit, nomina ubiqueque invenero, volo colligere, et rogo, quod colligantur, et in loco honesto collocentur.* Noster quoque Pater sanctus Bernardinus (ser. 2. qu. heb. ser. 41), tamquam legitimus sancti Francisci filius, et sicut Eliseus Eliae, sic ille sui Patris in zelo haeres, verbum Dei praedicans per Italiam, nomen Iesu sublime gestabat, ut ab hominibus sibi obviis adoraretur, iuxta Pauli verba (ad Phil. 2): *In nomine Iesu omne genuflectatur.* In cuius expositione loci idem ait, Apostolum Paulum, quando fuit raptus usque ad tertium caelum, quod aliqui intelligunt, empyreum, transivisse per novem choros angelorum, et hic vidisse archangelos, illic potestates, et hic thronos, et dominationes, illic cherubim, et seraphim, et postquam ad solem, in quo erat Christus, pervenerat, amore, et stupore affectum dicere solum potuisset, *Iesus, Iesus, quod ubi spiritus illi coelestes audiverunt, protinus, nullo excepto, ad tam sancti nominis adorationem in genua procubuisse, hincque factum, ut inde rediens Paulus eodem attestante sancto Bernardino illa verba scripserit (ibid.): In nomine Iesu omne genuflectatur.* Sed ut iam desinam, hoc solum adiungam, quod quemadmodum in Hispaniae academiis varia sunt ab Episcopis, Archiepiscopis, et Cardinalibus instituta collegia, ex quibus, tamquam ex egro Troiano, multi viri litteris, et virtute praestantes ad republicae Christianae diversos gravesque regendos magistratus prodeunt, qui tanta reverentia prosequuntur sui collegii conditores, ut me lesae, audito illorum nomine, saltem capita delegant, et de-

mittant; sic omnes peculiaris gratitudinis lege tenemur venerari nomen Iesu, qui fundator fuit, et extractor pulcherrimi, et sanctissimi collegii, quod est Ecclesia catholica, quam ille non auri, vel argenti censu, sed proprii sanguinis sumptu construxit, et complectavit; cui soli honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Quam apte Christo Domino impositum fuerit nomen Iesu, in quo pleraque alia, quae latent mysteria, deteguntur.

Non solum nationes fidei luminæ illustratae, sed etiam et Gentiles hanc semper curam habuerunt, ut convenientia rebus nomina imponerent. Unde Pharaeo Ioseph nomen Salvatoris dedit, denotans, quod lingua Aegyptiaca revelatorem secretorum, non nonnulli volunt cum nostro Lyrano (sup. c. 41. *Gen.*), significabat, quae duo sibi ulique safs convenire, nullus ignorat. Babylonii Danielem, qui in laetum leonum missus fuit, Balthasarem nominarunt, quod Chaldaee idiomate sustinentem angustias significat. Hinc est Platone dixisse, Rhodigino id referente, nomina imponenda esse rebus, non solum ad distinguendum, sed ad definiendum eas. Cum ergo nomen Iesu non a Pharaeone, non a Babylonis, non a Platone, sed ab ipsomet Deo inditum, et de caelo de-latum fuerit, quis Christo apissimum esse dubitare poterit? Id sane si cognovisset Plato, minime dubitasset, cum in Cratylo dicit: *Certe scio si qua Divi vocant, recte admodum eos nominare.* Unde et ibidem ait: *Orandus est nobis Deus, ut nomen suum patefaciat.* Ita certe orasse constat viros insignes: nam Iacob oravit, dicens (Gen. 31): *Dic mihi quod appellaris nomine?* El Moyses interrogavit Dominum (Ex. 3): *Si dixerunt mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis?* Huius petitionis nobis facta est concessio, Luca dicente (Luc. 2): *Vocatum est nomen eius Iesus.* Cuius sacratissimi nominis lamelsi nulla arcaea detexerimus, plura detegenda nobis restant. Et quidem in primis a perire oportet, quare Dominus nominis sui clarissimi impositionem cum obscura, et humilissimi circumfessionis nota coniungere voluerit: quae enim conventio lucis ad tenebras, quanam concessio salutis cum infirmitate, honoris cum dedecore, maiestatis cum servitute? multum certe per omnem modum differunt. Quia cum Christus Dominus non purus homo, sed Deus pariter, et homo esset, circumfessionis humanitatis, nomen vero Iesu divinitatis certum testimonium perhibet; coniunctio vero impositionis nominis Iesu cum circumfessione, divinitatis cum humanitate hypostaticam unionem indicat. Quae omnia adamussim olim adumbravit lamina illa summi sacerdotis, de qua in Exodo dicitur: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculptus opere caelatoris sanctum Domino; litabisque eam vitla hyacinthina, et erit super tiamam im-*

minens fronti Pontificis. Lamina haec ex auro purissimo, opere caelatoris sculpta carmen Christi, ex purissimis Mariae sanguinibus Spiritus sancti operatione productam ad vivum exprimit: villa hyacinthina, quae coelestem colorem refert, unione hypostaticam significat, quae ligat laminam thirae, hoc est humanitatis divinitati. *Sanctum autem Domino*, quod superimponi iubetur, nomen sanctum Iesu adumbrat, quod eodem tempore, quo ferram circumcisionis carnis laminam inciderebat, a Patre impositum declarabatur. Est autem aliud observandum, quod licet, ut recte adnotarunt Euthymius, et Theophylactus (*in c. 2. Luc.*), solum esset, ut circumcisio praecederet nominis impositionem, tum quia decebat, ut prius exterius character, et signaculum Dei, quam signum imponeretur humanum; tum quia non censebatur inter fideles dignus nomine, qui nondum fuerat Deo consecratus, unde Lucas nomen Lazari preferens, divitis avari nomen reticuit, quia nomine indignus erat: in Christo tamen Domino, qui character, et imago Patris erat, nec sanctificatione, quae per circumcisionem dabatur, indigebat, e contra se res habuit: prius namque fuit impositum a Patre nomen, et per angelum delatum, quam circumcisionis notam susciperet, dicente Luca, nomen hoc prius vocatum ab angelo, quam in ulero conciperetur. Sicut autem, ut referunt nonnulli historiographi, magnus Tamberlanus Ianuarii primum diem celebrare solebat, iubens, ut sacerdos nomen ipsius principis aurea tabula inscriptum coram omni populo alta voce pronunciaret: cui cuncti audientes in genua pronubant; ita sancta Mater Ecclesia, ut primum hunc anni diem religiosa commemoratione celebrat, non solum evangelicam lectionem, sacrum Iesu nomen continentem, publice cantari, sed et divini verbi praecones ad coelum usque sacratissimum hoc nomen extollere iubet.

Verum ad rem nostram iam iam propius accedentes, nomen antiquum *Iehovah*, sanctissimum Iesu nomen praefigurasse, ex superioribus satis superque notum arbitror, cuius singulare mysterium silentio praeterire non licet. Aiunt enim periti linguae sanctae, quatuor litteris scribi, Trinitatis personarum, et unitatis essentialis stipendium arcanum denotans. Prima namque littera est *Iod*, quae quia, ut ait Hieronymus (*sup. praef. in Lament.*), principium significat, et prima est illius, Patrem, qui prima persona est secundum ordinem originis, et principium ceterarum, apte representat. Secunda *Sin*, quae dentem significat, adamusim Filium refert, tum quia ipse fortitudo Patris est, dentis duritie significata; tum quia inter divinas personas solus Filius dentibus, sicut et alius ossibus, et carne compactus fuit. Tertia littera *Fau*, ligamen significans, Spiritum sanctum, qui ligamen, et nexus Patris, et Filii est, congrue satis exprimit. Quarta tandem littera *Gain*, quae idem valet, ac fons, vel oculus, unitatem divinae essentialis, quae unicus, et perennis est fons totius esse, et oculus lucidissimus, omnia tam praeterita, quam praesentia, et futura limpidissima co-

gnitione perlustrans apertissime demonstrat. Adhuc praeterea perillissimi eiusdem linguae Hebraicae, quod in loco illo Genesis (*cap. 49*): *Donec veniat, qui mittendus est*, litterae primae Hebraicarum vocum nomen Iesu expresse continet. Et d. Augustinus (*lib. 18. de civit. c. 23. to. 3*) refert, a Proconsule Flacciano accepisse libellum quandam Graecum, in quo Sybilla Erythraea, vel, ut alii volunt, Canna, quaedam carmina composuerat, quorum prima litterae reddebant hanc sententiam: *Iesus Christus Filius Dei vivi.* Sed omissis Hebraeorum, et Graecorum arcanis, de quibus in superioribus multa disseruimus, locus ille Ioannis (*Apo. 2*): *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, huic argumento valde congruere videtur. Nam tametsi nonnulli dicant, sub nomine calculi candidi promitti victori in hoc loco libertatem, in praemium ei dandam, quia olim, qui liberi dimittentur, albo lapillo designari consueverant; qui vero servituti addebantur, nigro: et quamvis etiam alii velint nomine candidi calculi Ioannem significare voluisse, Deum felices fortunatosque dies victori sedaturum polliceri; nam apud antiquos mos inoleverat dies gratos lapillo denotari, unde est illud Persii:

Hanc Macriae diem numeram meliore lapillo;

tamen cum in praedictis lapillis nullum prosum scriptum, aptius id intelligendum arbitror de Christo Domino, et nomine eius Iesu. Esse enim Christum Dominum calculum, divus Paulus attestat, dicens (*1. Cor. 10*): *Petra autem erat Christus.* Esse vero candidum, duplici potissimum ratione ei congruit, et quia candor est lucis aeternae, et speculum sine macula; et quia eximia puritatis candore inter omnes Sanctos praeluxit. Nomen autem novum scriptum in eo, nomen est Iesus, capiti eius superpositum. Ipsum figuratum reperio in lapide illo candido adamanti similimo, qui unus erat ex lapidibus, rationale summi sacerdotis ornamentibus, ut ex sapientissimis Hebraeis tradit Pierius Valerianus, per quem Deus oracula dabat, et indigentium necessitatibus occurrebat: quod quidem mirabilem virtutem nominis Iesu perspicue satis exprimit, Christo Domino dicente (*Ioan. 16*): *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, ut gaudium vestrum sit plenum.*

Apud Iustinum (*Dial. cont. Thrup. Iudaeum*): lego singulare quoddam arcanum, excellentiam sacratissimam huius nominis non parum ostentans. Ait enim, quod licet Deus quibusdam ex antiquissimis illis Patribus nomen Iesu non revelasset, obscure tamen Moysi illud manifestavit, quando ei apparuit in rubo. Contigit tunc, quod cum Moyses appropinquasset, ut videret portentum illud, quod arderet rubus, et non combureretur, dixit ei (*Exod. 3*): *Solve calcamentum de pedibus tuis, terra enim in qua stas, sancta est.* Ut intelligamus causam huius caeremoniae, observandum est apud nonnulla

nationes morem fuisse, discalceatos ad praedandum accedere, et tradidit Plutarchus: ut cum Deus Moysen invitasset ad spirituale sui colloquii convivium, quia *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; ideo iussit discalceatis pedibus accedere. In hoc ergo spiritali convivio cum Deus Moysen instrueret, quomodo erga Pharaonem se gerere, et qua ratione strenuum, ac diligentem in exequenda eius voluntate se exhibere deberet, cum obedientia praecipuus sit animi cibus, Christo dicente (*Ioan. 4*): *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Moyses rei difficultatem praevidens, nomen proprium ab eo postulavit, ut interrogatus, quis esset, qui mitteret illum, convenienter ei respondere posset. Tunc ait Iustinus, revelasse ei nomen Iesu. Nec putandum est, extra rem fuisse, de nomine hoc in convivio illo pertractari: nam praeterequam olim inveterata fuit consuetudo, cuius hucusque in Italia, Germania, et Gallia, alisque nationibus indicia non paucis intuemur, et in convivii, dum bibitur, chari amici nomen, immo et olim, quod litteras nomen continebat, toties convivia vini calicem illi propinabat, ut testatur Martialis (*lib. 1*):

Omnis ab infuso numeratur amico Falerno:

ad eundem modum posset quispiam existimare, voluisse Deum, profana in sacra commutando, ut in illo spiritali convivio Iesu nomen, quod sibi, et Moysi charissimum erat, in memoriam revocaret: praeter hoc inquam, quia forte cupiam non probabitur, apte sane tunc induxit Deus nomen Iesu: nam cum tunc temporis mitteret Moysen, ut esset salvator populi Hebraei sub captivitate Pharaonis degentis, oportebat Salvatorem generis humani ante oculos velut exemplar sibi proponeret, ad cuius imitationem populum Dei a dura Pharaonis servitute eriperet. Quod ita fecisse, ex eo facile liquet: nam sicut primum signorum Christi fuit conversio aquae in vinum (*Ioan. 2*): *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae*; ultimum vero, et potissimum, ut cum primogenitus Dei esset, in cruce moreretur: sic primum, quod patravit Moyses prodigium, cum e manu Pharaonis educere tentavit filios Israel, converso fuit aquarum fluminis in sanguinem, ultimum vero portentum, primogenitorum Aegyptiorum mors. Atque hinc facile erit intelligere, quod aliquin difficile est, verba illa Deuteronomii (*cap. 33*): *Benedictio illius, et super verticem Nazareni.* Est enim in primis notissimum, de Iosepho intelligi non posse, cum nullis retro anni mortuus esset. Unde d. Ambrosius, et Procopius exponunt locum hunc de Christo Domino, ita ut sensus sit, quod benedictio illa, qua Deus in rubo benedixit Moysi, illum efficiens Salvatorem populi Israelitici, tamquam umbra, et figura fuit benedictionis, quam Christus a Patre, et per eam universus mundus erat accepturus, ut totius generis humani Salvator esset, et ideo *Super caput Ioseph, in vertice Nazareni*, hoc est super caput Chri-

ti in fastigio crucis apponetur nomen, et sacrum illud epitaphium, benedictionem hanc exprimes (*Ioan. 19*): *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quam etiam benedictionem, cum divinum hoc nomen angelus revelaret, disertis verbis praedixerat, dicens (*Luc. 2*): *Ipsa enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Sed et aliud arcanum nobis restat reserandum, quid sit, quod cum Isaias vaticinatus fuerat futurum esse, ut nomen eius esset Emmanuel (*Isai. 7*): *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod et Mattheus eisdem verbis postea confirmavit; nihilominus Christus Dominus Iesus voluit appellari. Quaestionem hanc movet d. Chrysostomus (*ho. 5. in Mat.*), et Augustinus (*ser. de temp. et serm. 4. de Nativ.*), qui et respondent rationem huius esse, quod cum Deo propter eximiam, et incomprehensibilem eius excellentiam nullum proprium nomen imponi posset, naturam eius indeque explicans, oportuit nomen officii insigiri, quod potissimum eius munus exprimeret; et quia hoc erat salvare, ideo congrue Iesus vocatus est, quod salvatorem significat. Verum ad idem etiam aliam egregiam rationem subnectere possumus, quam licet supra tetigerimus, aliter eam nunc illustrabimus. Illud certe nomen gloriosius censetur, quod quis non tam ab origine maiorum, quam propriis egregiis factis sibi comparat: nomen autem Iesu heroicis suis, ac portentosis operibus sibi ipse comparavit, Paulo dicente (*ad Phi. 2*): *Humilitatis semelipsum, factus obediens usque ad mortem, mortuus autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Caesar Augusti nomine insigniri praecipue voluit, quod innuebat, augmentum Imperii Romani sibi adscribendum esse: et Titus Manlius Romanus, Torquatus dicit, et nominari meruit, quoniam torquem aureum a fortissimo milite extorserat, quod proprio collo impositum. Merito igitur Christus Dominus nomen Iesu elegit, qui Salvatoris manus perfectissime exercens, et catholicam rempublicam a fundamentis extrulxit, ornavit, et amplificavit, et torquem, atque cateas, quibus humani generis hostis tyrannice nos devinxerat, mirabili sui nominis virtute confregit. Memini olim Socratem dixisse, id referente Platone (*dia. de Sap.*), oportere viros insignes insignibus nominibus insigniri. Unde celeberrimus Turisconsultus Ioannes Andreas super decretalem Innocentii III. ad Eusebium Zamorensensem (*cap. cum secund. Apost. de praeb.*) refert, uxorem suam nomine Milanciam sapienter dixisse, si egregia nomina, sicut aliae merces, venderentur, quoque etiam ingenti pretio clariora, et illustriora a parentibus emenda fore, ut ea filiis imponerent. Ac tandem ipsi etiam homines aliquin turpia nomina habere designantur, et illa saepe in meliora commutare procurant: ut enim refert d. Augustinus, discipuli impij Manichaei considerantes, quia *Mania*, idiomate Graeco significabat stultitiam, atque ineptiam; addiderunt ad nomen Manichaei aliam litteram *n*, et vocaverunt illum Manichaeum, quasi *Manna fundentem*. Cum igitur apud omnes, tam pius, quam impius honorifico nomine decora-

ri, tamquam quoddam felicitatis genus habitum sibi, facile erit inde deprehendere, quam Christo Domino honorificum fuerit, celeberrimo Iesu nomine insigniri, quod iuxta Pauli sententiam nomen est super omne nomen. Certe omnibus gentibus videtur quasi a natura insitum, et congenitum desiderium, nomina sua aeternitate donare: unde antiqui illi Babylonicæ arcis erectores dicebant (Gen. 11): *Faciamus nobis civitatem, et turrim, cuius culmen pertingat ad coelum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Quam historiam Philo Iudæus (lib. 5. de antiq.) refert, tradit lapides turris illius ple-nos fuisse aedificatio-nominibus, singulis eorum singula nomina in illis exarantibus. Fa-mosa etiam illa Atheniensis meretrix Phryne nomine, cum videret urbis moenia ab Alexan-dro solo aequata, Atheniensium senatui polli-cita fuit, se illa propriis expensis instauratam, hac solo conditione, ut nomen suum, tamquam eorum erectricis in eis insculperetur: tam erat illius meretricis nominis sui exal-tandis insatiabilis cupiditas. Impius item Seron princeps exercitus Syriæ superbe dicebat (1. Mach. 3): *Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno.* Absalonem demum (2. Reg. 18) legi-mus exersisse sibi titulum, de quo dixit: *Hoc erit ornamentum nominis mei, covaticque titulum nomine suo.* Haec satis indicant, quam om-nibus commune sit de nominis sui celebritate sollicitos esse. Et quidem, cum Sapiens dicat (Prov. 8): *Melius est nomen bonum, quam ditia multa; et Ecclesiasticus asserat (Ecl. 4): Melius est nomen bonum, quam vingueta pretiosa; avidius sane illud, quam ista, curandum esset: verum quia omnes isti supra commemo-rati ad celebre reddendum nomen sum debita, et religiosa media minima adhibuerunt, in eorum numerum relati sunt, de quibus Salo-mon (Proverb. 10): *Nomen impiorum putrescet:* quia sicut ea quae putrescunt, in deterius commu-tantur, ita omnium istorum nomina tur-piora facta sunt. Babylonii enim superbi, et stulti reputati, et divino supplicio multati fue-re. Impius Seron altritus, et exercitus eius de-ductus. Phryne illa foemina contumeliosam re-pulsam ab Atheniensium senatu sustinens, non aliud, quam infame meretricis nomen memo-riae mandavit. Absalon tandem, qui at sacra refert historia (2. Reg. 18), *Erezerat sibi titulum cum adluc viveret,* in humilem fovam, super quam multi lapides missi fuerunt, pro-jectus fuit, non aliud quam inobedientiam, et rebellis filii turpissimum nomen sibi compa-rans. E contra iusti, et amici Dei divinae vo-luntati obsequentissimi, viam mandatorum eius ingredienti, apta advenienerunt media, quibus nomen suum aeternitatis honore decorarent, ac in omni natione celebre illud redderent. Sic David obtinuit, de quo sacra Scriptura ait (ib.): *Celebre factum est nomen eius.* Sic Iosue, de quo: *Et nomen eius divulgatum est in omni ter-ra.* Sic rex Ozias, dum Dei amicus erat: *Divulgatum est nomen eius usque ad introitum E-gypti propter crebras victorias.* Sic tandem Chris-tus Dominus, cuius clarissimum Iesu nomen manet in aeternum, et in coelis coeli, terrae,*

et inferni venerabile est, Apostolo dicente (ad Phil. 2): *In nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.* Dupli-catissimum ratione Principes magnum, et im-mortale sibi comparant nomen, bello, aut pae-ce. David bello, Salomon paece nomen grande sibi acquisivit. Christus autem Dominus utro-que modo, et debellans daemones (Ioan. 12): *Nunc princeps huius mundi eicietur foras, et pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis, omnium celeberrimum Iesu nomen sibi comparavit.*

His omnibus, quae hucusque dixi, non pi-gebit apponere, quae tam erudite, quam pie in laudem nominis Iesu Incognitus scripsit, versans verba illa Psalmi (Psalm. 37): *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: in qui-bus sit verum est, quod*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,

vere ipse attingit illud, utrumque id adamus-sim praestans in haec verba: *Narratur in chro-nicis, et etiam hoc tangit b. Augustinus, quod Romulus, qui Romam construxit, fecit sibi tem-plum, quod abyssum nominavit, cunctis ibi con-fugientibus impunitatem pollicentis. Quam ob causam multitudinem fugitivorum, qui apud suos cives offensam contraxerant, tunc ad se con-fugientem habuit, et recepit, et sic aucta fuit ci-vitas illa, quae domina futura erat orbis. Sic et spiritualiter Deus Ecclesiam fundaturus, in ea posuit templum: dicitur enim templum, se-cundum Isidorum (c. 15. etymol.) quod est lectum amplum, quod huic nomini Iesu optissime con-venit: est enim hoc nomen lectum, a tegendo, id est protegendo dictum (Psalm. 90): *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, et hoc lectum amplum, quia in Israel magnum nomen Iesus.* In hac autem civitate, scilicet Ecclesiae positum est hoc templum, scilicet nomen Iesu: elegi Hierusalem, ut sibi ibi nomen meum. Huic autem templo concessum est, ut omnes ad illud confugientes impunitatem consequantur, illud dicitur turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, id est, qui vult iustificari, et salvabitur. Ideo orat Palmo dicto: *In nomine tuo salvum me fac, et hinc est, quod spe salu-tis multi ad hoc nomen confugientes, civita-tem Ecclesiae fecerunt populosam, unde Bernar-dus (sup. Cant.): Unde putas in toto orbe tanta, et tam subita lux fidei, nisi de nomine Iesu? Secundo hoc nomen est remedium infirmorum, unde Petrus Rab. de hoc nomine dicit, hoc est nomen, quod surdis dedit auditum, claudis gressum, mutis sermonem, cecis motus, totamque diaboli potestatem de obsessis fugavit corporibus, unde hoc nomen videtur, quasi esse illa theria-ca, de qua dicit Avicenna (2. Can.) quod est sublimior medicinarum, et melior propter multi-tudinem sui medicamenti; et addit, quod illis, qui ea utuntur in hora sanitatis, non nocent ve-nena, et sunt securi ab aegritudinibus pestilen-tialibus. Recte sic est hoc nomen Iesu, quod non solum circa praesentia mala expellenda, sed etiam contra futura repellenda, et universaliter contra omnia mala valet. Unde Bernardus (sup. Cantic.): *Electuarium habes, o anima mea re-***

condium in vasculo nominis huius, quod est Ie-sus, salutiferum certe, quodque nulli invenitur pestilentiae inefficax, et ideo de hoc nomine dicitur (Act. 4): *Negue enim est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos sal-vos fieri.* Tertio hoc nomen est solatium ma-estoribus: dicit enim Isidorus, quod oleaster, et arbor inculla est amara, et infructuosa, cui ta-men insertus ramus olivae vim radicis mutat, et convertit eam in proprietatem suam, id est, illius rami. Sic et in proposito: nam arbor in-culta, et infructuosa erat humana natura pec-catrice, quae et amara dicitur, quoties in ama-ritudine, et dolore recogitat annos suos, atten-dens illud (Hierem. 2): *Scito et vide, quia ama-rum est, et malum, dereliquisse te Dominum Deum tuum, etc.* Sic igitur oportet, quod rati-cem ad arcam reversa est, scilicet nomen Ie-sus: est enim Pater olivae fructifera, duos ramos producens, scilicet Filium, et Spiritum sanctum; iste autem ramus insertus concertet radicem amaram, id est cor poenitentis, in sui qualita-tem, et suavitatem: haec est enim proprietatis huius rami. Unde Richardus de sancto Victore, Iesus nomen dulcis, et nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, et nomen beatæ spei. I-gitur Iesu, esto mihi Iesus (Cant. 1): *Oleum effusum nomen tuum, oleum inquam, de quo Ps. Ut exhalaret faciem eius in oleo, quia in eo laetabitur cor nostrum, et in nomine sancto eius sperabimus. Quibus consideratis, non immerito nunc dicit Pal. Beatus vir, cuius est nomen Do-mini spes eius, etc.*

HOMILIA IX.

Multipli sanctorum Patrum expositione elucidantur verba illa: Oleum effusum nomen tuum (Cant. 1).

Inter multa verba, tam dulcissima, quam mystica, quae in Canticis dicit Sponsa, insignia sunt illa, quae dum Sponsam amanter allo-quitur, nomen eius admirata dicit (Cantic. 1): *Oleum effusum nomen tuum,* seu ut Septuaginta interpretantur: *Unperpentum evacuatum nomen tuum.* Sacrarum litterarum interpretes mul-tipli expositione praesentia verba declarant: nam cum mysteriis admodum plena sint, non mirum est, si expositionum admittant varia-tem. Prima expositio sit Hebraeorum, qui teste Rabbi David Chimich, hoc in loco nomen accipi pro fama censent, iuxta Ecclesiastici verba: *Curam habe de bono nomine, id est de bona opinione, et fama.* Unde Sponsa dicente de Sponso suo, *Oleum effusum nomen tuum,* idem est ac si dixisset, fama tua per univer-sum terrarum orbem propagata est: nam quem-admodum pretiosus effuso liquore odor eius longe diffunditur, ita Sponsi nomen, et famam hominum ora pervasisse Sponsa dicebat. Qua de re advenit Theodoretus, non absque myste-

rio ab Sponsa vocatum fuisse nomen Sponsi non solum oleum, sed oleum effusum: nam quemadmodum oleum rosarum, vel alterius odoriferi liquoris, dum vase clauditur, quasi nullum exhalat odorem, ubi autem diffunditur, et praesertim, si vas in quo erat, rum-pitur, proliquis fragrans odor, et suavitas ad omnium olfactus transmittitur; ita Christus ante suam passionem paucis erat notus, et rarissime, quibus ille odorem suum communi-caverat, sed postquam sacri sui corporis vas in circumcissione coepit hiscere, et clavorum fixatione, et lanceae impressione perforari, unde suavissimi duo liquores sanguinis, et aquae fluxerunt, ut scriptum est (Ioan. 19): *Exiit sanguis, et aqua, statim a multis fuit cogni-tus, dicente Centurione (Matth. 27): Vere Filius Dei erat iste.* Et alii tanquam poenitentia ducti, quod hominem tantae dignitatis tam in-digne tractasset, revertentibus, percutientibus pec-tora sua: quod manifestum erat indicium, o-dorem suae divinitatis illo sacratissimo corpo-re latentis iam diffusum ad ipsos pervenisse. Haec omnia sanctus Ambrosius (lib. de Spir. sanct. c. 7) breviter ita explicuit: *Christi nomen ante eius adventum quasi vase claudabatur: Notus in Iudaea Deus, postea vero divinum suum nomen extendit, ut esset admirabile in universa terra.*

Idem Iamen Ambrosius (lib. 3. de virgin.) aliter explicat verba haec, *Oleum effusum nomen tuum:* ait enim intelligenda esse de incarnatione Verbi aeterni, in hunc modum: *Semper ungentum hoc erat, sed erat apud Patrem, erat in Patre, olebat tantum angelis, et archangelis: descendit Filius, et repleta sunt omnia novo odore Verbi.* Eusebius Caesariensis (lib. 5. c. 1. de demonstr. Evangel.) aliam sectatur viam: inquit enim, nomen saepe accipi in sacris litteris pro persona, cuius est nomen, ut constat ex Apocalypsi apud Ioannem: *Habes pauca nomina, id est paucas personas.* Et s. Lucas in Actis Apostolorum magnum numerum convenisse personarum, dixit: *Erat turba nominum.* Quo supposito asserit magnus hic Doctor, voluisse Sponsam per illa verba, *Oleum effusum nomen tuum,* dicere: Sponse mi, adeo munificens, liberalis, et profusus es, ut tuorum bonorum particeps omnino creatura sis: nam e-lementis esse impartiri, plantis vivere, ani-mantibus sentire, hominibus intelligere, ange-lis simpli, et comprehendere, cognitione percipere naturalia, et tam his, quam illis super-naturalium intelligentiam, ac tandem cum his summe bonus, cuius natura est, ut dicit Dionysius, esse sui diffusivum, et progressa est tua liberalitas, ut proprium fuderis sanguinem, tamquam pretiosum, et probatissimum balsa-mum, quo nostra omnium vulnera sanarentur. Magnus pater Bernardus (serm. 15. in Cant.), alio divertit, explicat enim Sponsae verba, *Oleum effusum nomen tuum,* de humilitate, et contemptu, quem Filius Dei delegit, nostram induens naturam: *Quid mirum, inquit, si Sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit: nam semetipsum evacuavit for-nam servi accipiens.* Videtur Bernardo, quod in spiritu praevidens Sponsa nomen Iesu ne-

glectum, et male affectum ab his, quorum lingua sacrilega peccat, dixerit: *Oleum effusum nomen tuum*. Oleum enim effusum parvi facinus, et tamquam inutile contemnimus. Idque meditatus Bernardus merito dixit: *Quid mirum si sponsi neglectum, et contemptum est nomen, si ipse quoque contemni voluit. formam servi accipiens? Tacitus praeterire non possum, quamvis obiter, Gregorii Nazianzeni verba notata digna: Ira, et moerore impleor, cum cornu Iesum hoc de causa contemni, ob quam eum maxime honorare aequum erat. Alii nostrae aetatis auctores doctrina graves interpretantur, Oleum effusum nomen tuum, de benignitate, et suavitate morum Christi, non dissimilium oleo, molliori, suaviter, et absque aliquo strepitu fluenti: qua metaphora usus est Plato, ubi laudans cuiusdam viri suavissimos mores, inquit: *Oleum fucum mollior, suaviorque*. Potest et haec expositio fulcri verbis Isaiae, qui significatur suavitate Christi, ut advertit Incongnitus, vocat eum filium olei, his verbis (Isai. 5): *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filii olei*. Consonat cum hac sententia Thargum: nam ubi nostra vulgata apud Isaiaem vertit: *Computrescet iugum a facie olei*, legit Thargum: *Computrescet iugum a facie Christi*: quod vidimus completum in eius circumcissione, siquidem Christi circumcisio duritiam, et asperitatem iugi veteris legis emolliuit, de quo dixit Petrus (Act. 15): *Nec nos, nec patres nostri portare poterunt*. Implemque pariter fuit per Christum, quod de ipso dictum fuerat a propheta Osea (c. 11): *Ego quasi exaltans iugum, id est, ego amovebo tam grave iugum, et aliud imponam suave, atque mile, de quo ipse dixerat (Matth. 11): iugum meum suave est, et onus meum leve*. Id autem a Deo praestitum, nemo est qui ambigat, cum in lege veteri esset ingens numerus praeceptorum, nunc autem decem tantum, quae ad duo reducuntur. Nec tunc sacramenta gratiam, ut nunc ex opere operato largiebantur: nam sacramentum Eucharistiae non erat aliud, quam figura per manna expressa; nunc verum sacramentum est, Christi corpus, et sanguinem vere continens. Tunc dum sacrificia Deo immolabantur, omnia plena veribus, mortuariis, fumo, et animalium cruore, nunc autem aqua, oleo, balsamo, verbis, carne, et sanguine Dei, omnia perfundunt: quae non aliunde, quam a mississimo Christi ingenio, et visceribus eius oleo mollioribus, et suavioribus manarunt.*

Interpres alii consideratis olei tribus proprietatibus, quas recensuit Bernardus, dicens: *Lucet, nutrit, et sanat*, inquit, voluisse Sponsam significare, nomen Iesu triplici praestare excellentia, lucis, alimentis, et sanitatis. Est enim sanctum nomen Iesu unica, et splendidissima nostrae animae lux, ob idque variis undequaque radiis cinctum figuratur; unde Paulus non aliam quam Iesu scientia illuminari volebat (1. Corinth. 2): *Non iudicari me scire a liquid inter vos, nisi Iesum Christum*. Atque huius occasionem inquirere placet, cur nomen Iesu depingi solet intra circulum radiis circumfusum, in cuius vertice crux, vel Christi imago cruci affixa cernitur? Respondeo cir-

cularem figuram semper fuisse symbolum puritatis, ut ait Virgilius in Epigrammate de viro bono. Causa vero est, quoniam circulus caret angulis, quibus sordes adhaerescere, et abscondi possint: estque pariter hieroglyphicum aeternitatis, ut notat Plerius Valerianus, quoniam circulus nec principium, nec finem habet. Ut ergo significaret Ecclesia aeternitatem Christi, qualenus Deus est, qui principio caret, et sine, utque nolaret pariter humanitatis eius sanctitatem, Iesu nomen depixit intra circulum, ut per illum, tamquam utriusque rei symbolum aeternitatis Dei, et sanctitatis hominis significaretur. Quod autem multis circumdetur radiis, non caret mysterio: nam praeterquam quod ita radiis ornatum speciem praesefert diadematis, vel coronae, qua hoc sacrum nomen decoratur, reducit etiam in memoriam coronam illam spinarum, quibus Christus, sicut olim a Moysse visus fuit, adhaerebat. Praeterea declarat hi radii, quibus ambit nomen Iesu, ab eius claritate, et fulgore hominis tenebras fuisse depulsas, quae totum terrarum orbem occupaverant; quod sancta mater Ecclesia in Dominica prima Adventus ita canit: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, et claritas eius replet orbem terrarum*. Insuper etiam circumfusus ille radiorum fulgor eum, qui illo nomine vocatur, esse Patris aeterni splendorem, dicitur Paulo (Hebr. 1): *Qui cum sit splendor gloriae: lux quoque de se attente: Ego sum lux mundi*. Praeterea radiis ornatum pingitur sursum et deorsum, dextrorsum, et sinistrorsum, quoniam superio splendore radiorum, et lumine suae divinitatis beatos illuminat, imis radiis infernum inhabitantes flammis exustos obscurat; radiis a dextra erumpentibus iustorum intellectus illustrat: sinistris denique peccatoribus lumen praebet, ne viam salutis amittant, sed tamquam sidus splendidissimum Iesu nomen respicientes, ab illo in salutis portum deducantur. Titulus autem, vel crux, quae huic nomini imponitur, indicat amorem Christi adeo ingrum, et tantum cum excessu charitatis fuisse, ut quamvis summae admirationis, et charitatis extiterit, Deum pro hominibus morti id tamen totum esse instar puncti, et brevis tituli, si cum his, quae nomen Iesu continet, et cum summo amore, quo nos prosecutus est, conferatur. Est etiam praeter haec nomen Iesu gibus mentis dulcissimus, ac propterea in Canticis de illo dixit Bernardus: *Mel est in ore, in aure melos, in corde iubilus*. Est quoque fons nostrae salutis, imme et ipsa salus, et ita cernimus, cum a Petro claudas ille peteret elemosynam, respondisse (Act. 3): *Argentum, et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do in nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula*. Vix haec protulerat Apostolus, cum subito pauper ille convulsi, ut ibi legitur: *Consolidatae sunt bases eius*. Refertur Galatinus (lib. 8. descor. cap. 5), et Iacobus a Valenti (in Psal. 8. et 117), opinionem fuisse inter Hebraeorum magistros valde receptam, tantam esse virtutem, et potestatem nominis ineffabilis Dei, ut qui profert illud Hebraice, iuxta eius linguae proprietates, grandia posset facere prodigia, ei

miracula edere, adeo ut sanaret aegrotos, et mortuos excitaret. Nec desunt Hebraeorum aliqui, putantes signa, quae Moyses in Aegypto fecit, ab hoc nomine habuisse virtutem. Cuius rei ergo quaerens fundamentum, reperi apud Abulensem interpretantem verba illa: *Moyses portans virgam Dei in manu sua, ideo vocari virgam Dei, quoniam litteras nominis Dei circumscriptas haberet: referque idem Abulensis (super 3. Exod.)*, ex aliorum sententia, quod haec virga, qua operatus est Moyses mirabilia, in horlo Ietro, qui erat Moysis socer, nata fuerat, et a nullo poterat avelli, donec Moyses accessit, cui illam Deus ad tot, et tanta miracula destinaverat. Sunt denique alii, non minus graves, quam in sacris litteris versati, qui sentiant per haec verba, *Oleum effusum nomen tuum*, non intelligi praecipue nomen Iesu, quod proprium nomen Sponsi est, sed potius insinuari, et significari nomen Christus, quod est nomen appellativum, ut super Ioannem advertit Augustinus (c. 2) dicens: *Iesu proprium nomen est, quomodo Moyses, Elias, Abraham; Christus autem sacramenti nomen est, quomodo si dicitur, propheta, vel sacerdos*. Lactantius (lib. 4. de vera sap. c. 7) perscrutatus, quid mysterii in eo nomine lateat, scribit nomen, Christus, quod significat unctum, praesefertur sceptorum, et potestatem regiam nostri Salvatore: olim enim invaluit consuetudo unguendi eos, qui reges creabantur; unde legitur (3. Reg. 1), a sacerdote Sadoe unctum fuisse Salomonem: *Sumpsit Sadoe cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem*. Et (1. Reg. 16), scriptum est, a Samuele unctum fuisse Davidem. Hinc ergo est, quod in sacra Scriptura censentur synonyma, Christus, et rex, ut liquet ex (1. Reg. 26): *Non mittam manum meam in Christum Domini*, id est regem Saul; et Isaia (c. 45) inquit: *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro*, hoc est regi meo Cyro. Illis ita praemisissis, sciendum, sicut David ter fuit unctus, primum in Bethlehem a Samuele, secundo a tribu Iuda, tertio ab omnibus Israelitis: sic etiam ter fuisse unctum Christum Dominum, videlicet intra matris viscera, ut ipse per Isaiaem (c. 61) dixerat: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me*; quae unctio quamvis intelligi possit de gratis, et donis spiritualibus, quae illi communicata fuerant nullo excellentius, quam reliquis eius consortibus, quemadmodum David testatus est (Ps. 46): *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae praec consortibus tuis*; unctio tamen praecipua fuit hypostatica unio sacrae humanitatis, sicut Gregorius Nazianzenus (lib. 4) declaravit: *Dicitur Christus, inquit ille, propter divinitatem, ea enim humanitatis unio est non operatio; et in aliis Christi, sed totius unguent praesentia, cuius hic effectus est, ut id quo unxit, homo vocetur, et quod ungitur, Deus fiat*. Alludens ergo Sponsa ad hanc unctionem nomine Christi significatam, nam Christus idem est, quod unctus, dixit Sponso suo: *Oleum effusum nomen tuum*. Huic expositioni assentiri videtur Paraphrastes Chaldaicus, qui praedicta verba sic Latine vertit: *Unquendum, quo unguuntur reges, et sacerdotes, est nomen meum*. Aliis autem videtur, quod quemadmodum un-

guentum, quo reges, et sacerdotes ungebantur, erat mistum variis speciebus aromaticis, myrrha, aloë, et storace: ideo Sponsa significatur nomen Iesu esse misionem quandam, et confectioem mysticam aliorum plurium nominum, quae in hoc uno clauduntur, comparavit Sponsum suum unguento, quo reges, et sacerdotes ungi solebant. Attamen sacri doctores, et Patres haec ipsa verba de nomine Iesu intelligenda docent; et ideo Gregorius Nysenus acute, ut solet, dicit, quod quemadmodum quando rumpitur vas oleo odorifero, vel alio quovis aromate plenum, eius sentientes odorem statim concitimus qualis sit liquor ille, olei ne, vel balsami: ita per odorem, quem Christus in mundo reliquit, sanctitatis vitae, excellentium miraculorum, et veritatis in docendo, concitamus, et vera cognoscimus ipsum esse verum Messiam in lege promissum: quod ut significaret Sponsa, dixit: *Oleum effusum nomen tuum*. Nisi forte dicere velimus, quod Sponsa Christo sacrum nomen Iesu imponi considerans, dum a corpore illius tamquam a mirabili fonte fluebat liquor olei sancti, et pretiosi balsami, nempe sanguis illius, vocavit nomen illud. *Oleum effusum* super vulnera nostrorum miseriarum: propterea namque illum fudit, ut nobis salus, et vita pareretur. Potuit etiam vocare nomen Sponsi oleum effusum, ut excellentiam illius ostenderet: nam sicut oleum aliis liquoribus admistum non ipsius confunditur, sed innatat, et eminet, locum occupans superiorem; ita sacrum hoc nomen omnia nomina antecellit, et sedem primam tenet dignitatis, et honoris, ut dixit Paulus (Phi. 2): *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen*: quae verba sequens Homilia latius explicabit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Conditiones, et circumstantiae, quae in sancto Dei nomine iurando necessariae sunt, erudite explicantur.

Inter ea, quae ad cultum venerationemque nominis Dei pertinent, non ultimum locum tenet iuramentum: nam si debitis cum circumstantiis fiat, actus est virtutis, quae inter morales tenet principatum religionis, videlicet, ut docet angelicus Doctor (2. 2. q. 49), ante quem id praedixerat David, inquit; *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*. Cuius rei ratio ab ipsa iuramenti natura desumitur: nam ut communiter tradunt Doctores cum s. Thoma, qui ab Augustino id accepit: *Iurare est adducere Deum in testem*; id vero dum facimus, Deum colimus, dicta nostra eius auctoritate roborantes, quippe ipse solus est pura veritas omni opposita mendacio. Unde Paulus Apostolus (ad Hebr. 6): *Omnis controversia finis ad probationem est iuramentum*. Sanctus Hieronymus (sup. Matth.) inquit: *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit,*